

sub tribus Othonibus, ad Historia leges fideliter videtur exponere Onuphrius, ut feruanti monumenta patebit. In hoc solo erat, quod hanc Othonum œconomiam fundet in suppositio Adriani I. privilegio, per Leonem VIII. Antipapam apocrypha confirmatione roborato (N. 72. h. t.), cum potius repetenda sit ex Romanorum concessionem Othoni I. ejusque filio, misera cogente necessitate, jurata, & quidem male (N. 47. h. t.) atque adeo pejus ab Othone III. nepote usurpata.

48. S. Henricus II. è Duce Bavarie Imperator, ejusque Successor Conradus II. Ecclesie Romanæ plenam electionis suorum Pontificum relicturam libertatem, illam, ad exemplum Imperatorum Francorum, Clero, Populoque committentes.

S. Henrici diploma hac super re consignavit Baronius ad A. 1014. in quo ad propositum sequentia leguntur: *Ut in electione Pontificum neque liber, neque servus ad hoc venire presumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per Constitutionem SS. Patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram Constitutionem venire presumpserit, exilio tradatur. Insuper etiam, ut nullus Missorum nostrorum cujuscumque impeditent argumentum componere audeat in præfatam electionem, prohibemus, &c.*

49. Henricus III. Conradi II. filius, & Henricus IV. ejus nepos œconomiam Othonum circa electiones Romanorum Pontificum circa A. 1046. reassumplerunt, annuentibus Romanis, & Nicolao II. in Concilio Romano consensum Imperatorum confirmante.

Quantum ad 1. p. Clemens II. opera studioque Henrici III. Germaniæ Regis, summo Romani Cleri consensu creatus est Pontifex A. 1046. & A. 1048. Poppo Brixiensis Episcopus ejusdem Henrici Imperatoris nutu creatus est Pontifex, qui nomen sibi sumpsit Damasi II. Hoc defuncto, ab eodem Henrico Imperatore, id aucto-

ritatis pessimis illis temporibus sibi tribuente, in Conventu Wormatiensi A. 1048. Romanus Pontifex designatus est Leo IX. ut refert Natalis Alexander Hist. Eccl. tom. 6. p. 405. & vita ejusdem Pontificis in Collect. Concilior. Collect. tom. 11. col. 1317. ubi, cum Cardinales per legationem ab Imperatore referantur petivisse suo nomine eligi, & prælatari aliquem idoneum, qui Benedictum (Antipapam dictum IX.) jam tertium Sedem Apostolicam invadentem, ejicere posset; certum est eos in hanc Imperatorum œconomiam consensisse: at dura Schismatis necessitate adactos; atque ita Leonis IX. Successor Victor II. Clero Romano legationem ad Henricum III. mittente, Sedi Apostolicæ ab eodem invecus, atque post mortem Stephani IX. Victoris II. Successoris, assensu Agnetis Imperatricis, ad comprimendam audaciam Antipapæ Benedicti X. à Legatione Romana expedito, Senis Nicolao II. Papa electus est.

Quantum ad 2. p. idem Nicolaus II. A. 1059. in Concilio Romano Decretum de Romani Pontificis electione edidit, statuens: *Ut, vacante Sede, Cardinales Episcopi convenirent, de electione tractaturi; assumptisque secum Clericis Cardinalibus, communibus suffragiis Pontificem eligerent ex Ecclesia Romanæ gremio, si repereretur idoneus, accedente reliqui Clerici, Populique consensu, salvo debito honore, & reverentia Henrici IV. Germaniæ Regis, & futuri, ut sperabatur, Imperatoris: cui Nicolaus ipse privilegium confirmavit, ejus Patri (Henrico III.) ab Apostolica Sede collatum, ut absque ipsius assensu Romani Pontificis electio rata non esset. Teste Nat. Alexand. L. cit. ex actis & Authoribus coævis.*

50. Impugnata est hæc Ecclesie Romanæ circa electionem Summorum Pontificum servitus, duris variorum temporum conditionibus introducta, cum suis Corollaris, in alias particulares Ecclesias redundantibus, à Gregorio VII. Alexandri

dri II post Nicolaum II. A. 1073. Successore, ac tandem à Callisto II. ablata.

Quantum ad 1. p. vide N. 26. h. t. quo involvitur omnium in genere Episcopatum damnantur.

Quantum ad 2. vide Compacta inter Callistum II. & Henricum V. Henrici IV. filium relata hoc tit. N. 26. Pro utraque autem integram dissertationem de Investituris hoc titulo: quo tempore, usque ad præsens independentes à Laicæ Potestatis nominatione, vel assensu manserunt Romanorum Pontificum electiones, domi suæ jam penitus inspicienda. Vidimus autem (N. 35. h. t.) quomodo electio Romani Pontificis à primis Sæculis facta sit communibus Populi Romani, Clerique suffragiis: vidimus præterea à N. 36. usque ad præsentem quemadmodum à Laicis Principibus fuerit infestata, & à Romanis Pontificibus postliminio vindicata. Nunc videamus, quemadmodum ad S. Romanæ Ecclesie Cardinales demum devoluta sit, exclusis tam Clero, quam Populo Romano.

51. Sæculi XI. medio præcipua electionis sparta Collegio Cardinalitio delata est, Episcopis Cardinalibus primas obtinentibus.

Id sancivit Nicolaus II. in Concilio Romano A. 1059. Constitutione edita sequentis tenoris: *Obeunte Pontifice imprimis Cardinales Episcopi diligentissime simul delegatione tractantes, mox ipsi Clericos Cardinales adhibeant; sicque reliquos Clerus, & Populus ad consensum novæ electionis accedat. Canonica ergo Cardinalium electio præcedere debebat, ac deinde Cleri, Populique assensus accelerare: dist. 79. c. 1. dist. 23. can. 1. Nec inane hoc erat studium attollende Cardinalium auctoritatis, inquit Thomassinus; extorquenda enim erat Germanis Imperatoribus ea potestas eligendi suorum Romani Pontificis, quam jam diu usurpare permitti fuerant: ut præsentis §. videri potest. quamvis huic Electionis Romani Pontificis reformationi occasionem dederint Schismata, Ecclesiam Dei post*

mortem Stephani, Nicolai hujus Prædecessoris, graffantia, inquit idem Pontifex in ipso decreto; ut in quo etiam, comprimendorum horum gratia, salvus haberetur honor Romani Imperatoris, assentendi nimirum Electioni factæ, ut supra N. 49. vidimus.

52. Per idem decretum amplius adhuc minutum est jus suffragii Populi Romani in electione Summi Pontificis.

Additur enim ibi: *Quod si pravorum, atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera, atque gratuita fieri in Urbe non possit electio: Cardinales Episcopi cum Religiosis Clericis, Catholicisque Laicis, licet paucis, jus potestatis obtineant, eligere Apostolicæ Sedis Pontificem, ubi congruere viderint.*

Hæc disciplina, ut nempe Episcopi Cardinales primas in electione Romani Pontificis partes haberent, Cardinales Clericos nihilominus adhibeant, ac ita per majoritatem votorum electionem faciant, cui factæ Clerici inferioris vota, Populique plausus accedant, duravit usque ad Alexandrum III. electum A. 1159. à quo immutata est.

Prima pars propositionis patet ex electionibus Alexandri II. qui Nicolao successit; Gregorii VII. ex cujus electionis decreto fragmentum retulimus N. 84. h. t. aliorumque post Gregorium VII. usque ad Alexandrum III. Romanorum Pontificum inaugurationibus: quorum œconomiam ad ideam allatæ propositionis exactam ipse legi apud Baronium ad horum temporum periodum. Hoc notandum, quod in electione Alexandri, & Gregorii exquisitis adhuc fuerit Imperatoris consensus, & usque ad Callistum II. præsentis, ut hoc §. vidimus. Quæ res sæpe Schismatibus locum dedit: uti videri potest apud Petavium in Rationario Temp. in tabula chronol. Schismatum, & Antipaparam.

Quantum ad 2. p. cum Alexander III. usque experientia edoctus fuerit, decreto Nice-

Nicolai II. supra allato, adhuc sat efficaciter non occurrī ambitioni malevolorum hominum, & majoris partis electo, minoribus suffragis sæpe oppositum fuisse Pontificem, id quod in sua electione contigit, in qua duo soli Cardinales Tituli S. Martini, & Guido Tituli S. Callisti Presbyteri, Octavianum Tituli S. Cæcilie, reliqui Collegii votis in se conspirantibus, Romanorum Senatorum ope auxilioque ab Octaviano pretio comparatis, ipsi opposuerunt, atque potentia Friderici Imperatoris usque ad mortem sustinuerunt; ita ut, ut solus ille legitimus haberetur Pontifex, in quem duæ partes Sacri Collegii concordarent. Quo decreto relato tit. 6. de elect. cap. 6. prærogativa Cardinalium Episcoporum ablata est, omnibus æqua juris sparta quantum ad præsentem actum distributa, Romani Pontificis electio ab electionibus aliorum Præsulum, in quibus majoritas votorum sufficit, distincta, atque assensus Cleri, non Cardinalis, Populi que Romani exclusus. Quæ disciplina usque in præsentem diem perseverat.

#### QUÆSTIO DOGMATICA.

An Romani Pontifices Gregorius VII. ejusque Successores investituras juste damnaverint?

54. **M**elchior Goldastus Haimiusfeldius, Calvinista, Constitutionum & Recessuum Imperialium Collector, Apologias Reverendissimorum, & Illustrissimorum S. R. I. Principum pro Henrico IV. hoc est, illorum, qui tempore funestis Schismatis hunc Imperatorem inter & Gregorium VII. à partibus prioris steterunt, recensuit, emendavit, Aucto-ribus suis rescripsit, & Natalibus, ut ipse loquitur, restituit, atque Hannoveræ contra Jacobum Gretserum S. J. a. 1611. publicavit. Huic volumini, præter Schismaticeorum, qui vitas Gregorii VII. atque Henrici, ac posterioris apologias scripturive-

re, lucubraciones, duodecimo loco inseruit Waltrami Nauwabergensis Episcopi tractatum de investitura Episcoporum, pro Juribus Imperatorum, & Regum, contra Paschalem Papam. Quo tractatu egregius Henrici satellites investiturarum ulum justificare conatur. Cujus argumentis hic satisfactum imus; horum Summorum Pontificum, præprimis vero Gregorii VII. æconomiam contra Goldasti, aliorumque Protestantium nigras calumnias, Deo propitio, vindicaturi.

55. Ut autem causam gravissimam pro meritis instruamus, Lectorique clarum simul, atque ab omni æquivocationis furo depuratum ideam rei, de cujus jure Sacerdotium inter & Imperium luctuosa illa tempestate pro aris quasi & focis decertatum est, ingeramus; & hinc efficiamus, ut & causæ Pontificiæ æquitatem facilius perspiciam, & Scriporum, qui ejusdem patrocinium tum susceperunt, sensum assequatur; observandum duximus, tria in investitura considerari posse: inter quæ primo loco venit ipsa laicalis promotio, vel confirmatio ad Ecclesiasticam Beneficia medio signo exteriori, puta datione annuli, & baculi. Secundo, debitam esse Laicali Potestati hujuscemodi promotionem, independentem ab Ecclesiastica Potestate. Tertio, per Laicalem Investituram aliquid dari Sacramentum vel rem alicujus Sacramenti Ecclesiastici, aut denique spirituale potestatem.

56. Qui jus investendi Principibus Laicis secundo vel tertio modo sumptum assereret, hæreseos notam apud Catholicos non effugeret. E contra, investituram primo modo sumptam non nisi temere & imperite quis hæreseos arguat; cum per eam tum non conferretur Investito potestas Ordinis, vel Jurisdictionis spiritualis; sed bona Episcopatus vel Abbatiae temporalia, & sæpe tandem ipsi Episcopatus, Abbatiaeque cum oppressione libertatis Electionum Ecclesiasticarum, & simoniaca pravitare.

57. Certum autem ac indubitatum est, nec Gregorium VII. neque ejus Successores investituras laicas, prout à RR. Imperatoribus, Regibusque Christianis cum dicta libertatis Ecclesiasticæ oppressionem, atque simoniaca pravitare fiebant, hæresis labe notasse, easque ut tales damnasse: id quod eorundem Epistolæ, decretaque hac super re edita legenti loquentur; neque Laicos Principes in eam demerentiam prolapsos, ut crederent Electiones Pastorum Ecclesiæ independentem ab ejus concessione, & jure quodam divino ad se pertinere, vel se aliquod Sacramentum per investituras conferre: potestatem videlicet Ordinis, aut spiritualis jurisdictionis; cum earundem usum potius expositiva Ecclesiæ concessione, & legitimæ consuetudinis præscriptione vindicare conati sint, ut infra videbimus: nec unquam existimaverint, se per anulum & baculum spirituale quampiam potestatem, vel Sacramentum aliquid dare; sed vel consensum in canonicam electionem, vel, illa posthabita, ipsam Episcopatum, Abbatiamve, ac tandem feudorum, aliorumque bonorum Ecclesiasticorum collationem.

58. Quare oppido injurii fuerunt Scriptores illi, zeloque non secundum scientiam acti, qui Paschali II. à quo Henricus V. confirmationem investiturarum toties jam prædammatarum inique extorserat, objicere ausi sunt, illum hæresim confirmasse: siquidem auctoritates, quas adducunt, & intemperanter exaggerant, tantum convincunt, investituras laicas à Canonibus, Pontificumque decretis esse prohibitas, non autem hæresi notatas. Excusatione tamen digni, vel quod investituras dictas in secundo aut tertio sensu usurpaverint, vel quod significationem hæreseos in latiori sensu acceperint, quemadmodum simonia ab aliquibus hæresis appellari consuevit; vel tandem, quod controversiæ cruentæ Sacerdotium inter & Imperium ideam minus exactam habuerint.

59. Non me latet id, quod Binius ad

Concilium Quintilneburgense, celebratum sub Gregorio VII. A. 1085. aliique notarunt: auctoritate nimirum Schismaticeorum Henricianorum, quos idem Gregorius excommunicaverat, ortam esse Hæresim Henricianam, cujus Sectarii docebant, Imperatoribus & Regibus non tantum temporalia, sed etiam spiritualia esse subjecta; adeoque non esse legitimum Petri Successorem, nisi quem Rex Germaniæ in Petri Thronum intrusisset. Sed hæc erat vox turbæ tumultuantis, & ante jam erant investituræ, & quidem in sensu minime hæretico damnatæ; cum, teste Petro Diacono lib. 4. Chronici Casinensis cap. 42. Henricus sibi nunquam persuaserit dando investituras se Sacramentum, aut effectum Sacramenti conferre; sed Regalia Feuda sola se dare. Quæ tamen sola non dedit, sed ipsos etiam Episcopatus, & Abbatias cum oppressionem libertatis canonicarum electionum. Et quibus Paschalis II. decreta Viennensis in Gallia Synodi A. 1112. celebratæ, in cujus primo Canone investitura de manu Laica accepta hæresis judicatur, absque exceptione confirmaverit; data ad Guidonem Synodi Præsidem epistola, cujus exemplum ex Codice Petri Catalaunensis, à Patre Sirmondo excerptum, & in Labbæana Conciliorum editione vulgatum est: illud tamen, quo investitura Sacrarum Dignitatum de manu Laica judicatur hæresis, haud consensus est approbasse; nisi forte hæreseos nomen minus proprie, & latiore quadam significatione à Patribus illis acceptum intellexerit: Natalis Alex. Sæc. XI. & XII. disert. 4. N. 5. siquidem in Concilio Lateranensi, quod celebravit A. 1116. ferre non potuit Brunonem Signum Episcopum in priori sententia pertinacem, & palam propugnantem, privilegium de investituris, Henrico Imperatori concessum, hæresim continere, uti ex Actis ejusdem Concilii patet.

60. Quare cardo causæ in disceptationem adductæ in hoc unice vertitur: An

jure aliquo positivo, aut legitima consuetudine investituræ, quibus non potestas aliqua Ordinis, vel spiritualis Jurisdictionis, sed ipsi Episcopatus, & Abbatia cum eorum bonis temporalibus conferbantur, posthabita canonice electionum libertate, Principibus Laicis tum competitur? 2. An in manifestis abusibus degeneraverint, errorisque ac scandalis occasione dederint? Et si nullo jure vel consuetudine nitentur, insuperque in manifestis abusibus degeneraverint, errorisque ac scandalis occasione dederint: an iuste à RR. Pontificibus proscripta fuerint?

Propositio est affirmativa.

61. **P**robatur. Usus illarum investiturarum nullo jure positivo, aut legitima consuetudine nitentur; quin recens erat usurpatio contra primigenium Ecclesie morem, Sacrosque Conciliorum, etiam Generalium, Canones: insuper in manifestos degeneravit abusus, quibus Ecclesie in Sacris Electionibus libertas opprimebatur, & Beneficia simoniaca, atque indignis passim conferebantur; errorisque ac scandalis occasionem dedit: iuste igitur à Romanis Pontificibus proscriptus est. Cum evidentiæ momentosi Consequentis ex certitudine Antecedentis unice dependeat, illud quoad singula membra prius demonstrandum est.

62. Et quidem prima ejus pars, quod nempe dictus investiturarum usus nullo jure positivo, aut legitima consuetudine nitentur, sed recens erat usurpatio, patet ex solutionibus argumentorum Waltrami, quibus contrarium persuadere conatur: quas adferemus infra N. 75. & seqq.

63. Quod autem hæc usurpatio fuerit contra primigenium Ecclesie morem, Sacrosque Conciliorum, etiam Generalium, Canones, id quod dicit 2. antecedentis pars, ex notis historicis in hunc titulum de facto datis compertum est; in iis liquidem monstravimus, à primis Ecclesie Sa-

culis Sacrarum Electionum partes præcipuas penes Episcopos fuisse (N. 10. h. t.), Clerique ac Populi suffragia tantum fuisse postulativa & informativa (ibi), Jus nominandi præficiendum, vel electioni consentiendi, Principibus Laicis, tanquam Ecclesie Advocatis, ab illa in suum bonum subinde concessum, subinde permissum (N. 21. 24.); ingeltioni vero huic negotio eam semper relictisse (N. 17.): quo numero retulimus Canonem 22. Synodi Generalis VIII. A. 889. celebratæ, hæc Principum Sæcularium in Sacras Electiones ingeltionem proprie prohibentem. Accedit Canon 29. Apostolorum (hoc lib. tit. 2. N. 25.) primorum sæcularum disciplinam, esto apocryphus, referens, & mandans: Ut, si quis Episcopus sæcularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregetur, omnesque, qui illi communicant. Item Canon VII. Concilii Nicæni II. seu septimi Generalis A. 787. habiti, in quo sancitur, ut omnis electio à Principibus facta Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi irrita maneat, secundum regulam: Si quis Episcopus, &c. mox relata. Plures hæc in rem Canones videantur sparsim in notis jam datis.

64. Jam quod in manifestos degeneraverit abusus, quibus Ecclesie in sacris electionibus libertas tum opprimebatur, atque Beneficia simoniaca, indignique conferebantur, testibus idoneis adstruendum. Inter quos agmen ducit S. Anselmus Lucensis Antistes, qui Henrici IV. hoc in passu tyrannidem Lib. 1. paucis exponit, sic Antipapam Guibertum compellans: Rex tuus sine intermissione vendit Episcopatus, electa proponens, ut nullus habeatur Episcopus, qui à Clero electus, vel à Populo fuerit expetitus, nisi præcesserit honor regius, quasi ipse sit hujus Officii Ostiarius, de quo Veritas dicit: Huic Ostiarius aperit. Et infra: Vos, inquit, Ecclesie Catholice, quam invasistis per totum Regnum, membra distrahitis,

& in servitutum redacta, qua vile mancipium in dominium vestrum redigitis, & divini juris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes, omnia Imperatoris juri esse subiecta, Episcopatus, Abbatias, omnes omnino Dei Ecclesias; cum Dominus dicat: Ecclesiam meam, Columbam meam, Oves meas. Paulus dicit: Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est à Deo, tanquam Aaron. In parte tua quis præficitur, nisi quem aut gratia exhausto sanore, vel munus à manu, vel munus à lingua, vel munus ab obsequio attraxerit? quis moribus? quis honestate, quis vitæ integritate eligitur? Persequendi sunt itaque lupi, &c. De duobus acculat Anselmus Henricum, de libertatis electionum canonicarum oppressionem, & de sacrilega Episcopatum, Abbatiarumque nudatione. De quibus ipsum etiam acculat Herrandus Halberstadtensis Episcopus in sua ad Waltramum epistola, quam Goldastus in citata apologia hoc miti marginali notat: Crimina hæc sunt à rebellibus excogitata, ut rebellionem suam injustissimam, & perfidissimam prætextum facerent.

65. Sed quam hæc non sunt cordati viri, patet primo ex eo, quod Anselmus, quantum ad primam propositionem, ipsam Henricianorum referat sententiam, dicentium: Omnia Imperatoris juri esse subiecta, &c. quem ad exordium libri secundum ex professo refellit. Quantum ad secundam vero ipse Henricus Episkola ad Gregorium VII. data exclamet: Heu criminosis nos & infelices! partim pueritiæ blandientiæ instinctione, partim auctoritatis nostræ imperiosa libertate, partim etiam eorum, quorum seductilia nimium secuti sumus consilia, seductoria deceptione peccavimus in Cœlum & coram vobis — non solum enim non res Ecclesiasticas in casum, verum quoque indignis quibuslibet, & simoniaco felle amaricatis, & non per osium, sed aliunde intrantibus, Ecclesias ipsas vendidimus, &c.

Referitur hæc Ep. in Coletana Conciliorum Collectione tom. 12. col. 624. Quæ omnia cum confirmet luculento testimonio Willelmi Tyrusii lib. 1. hist. c. 13. alicujus plurimi Scriptores, ex tantorum Virorum testimonio, Henricianorum sententia, & ipsius Henrici confessione, veritatem quætionis facti à nobis propositæ non erit, qui inficias iverit. Accedunt, & rem quoad illam conficiunt, facta conventa inter Callistum II. & Henricum V. Henrici IV. filium N. 26. insinuata; in quibus cum Imperator concedat, in omnibus Ecclesiis fieri liberam electionem, & liberam consecrationem, ipsum eas prius exemplo Patris sui impedivisse in aprico est.

66. Quod autem investituræ erroris & scandalis occasio fuerint, id, quod dicit 4. pars antecedit. inde patet, quod Populus facile inducebatur ad credendum, Imperatorem, annulo, & baculo investito, dare potestatem spirituales, quam illæ signa suapte natura exprimere videntur. De quo vide infra N. 51. Antecedens ergo argumenti quoad omnes suas partes adsertum est.

67. An autem consequentia adeo realis, quæ nempe ablationem investiturarum adeo realem ex causis in antecedente positus jure factam infert, cum illo legitimo nexu copuletur, jam videndum. Id quod confirmamus ex sequenti principio: Cum Privilegium concessum à Governatore Societatis, si ejus usus vitio Privilegii in perniciem ejusdem vertatur, eidem jure auferri possit, majori jure auferri poterit simile privilegium per conniventiam, & tolerantiam recens, atque contra Sanctionem totius Societatis usurpatum. Enimvero certum est, usum investiturarum, quibus ipsi Episcopatus, & Abbatia per annulum & baculum conferebantur, facti privilegium, & quidem non positive datum (N. 50. h. t.) sed Ecclesia connivente, & dum ejus usus in suum bonum cederet, tolerante, recens usurpatum (N. 21. h. t.)

& quidem contra primævum ejus jus, consuetudinemque (N. 64. h. t.) Sacrosque Canones Conciliorum, etiam Generalium (ibi): ergo dum in perniciem ejus, & oppressionem Jurium ab ipsis suis exordiis possessorum (ibi) exercebatur à Principibus Laicis, ab illa vel ejus Supremis Eiconomis iisdem jure ablati est. Nemo enim diffiteri potest, qui se filium Ecclesie proficitur, quin illa jure potiat libertatem suam tuendi; cum enim Christus ipsi libertatem sanguine suo pepererit, & Regis Glorie Sponsa sit, Dominaque Gentium; autoritate, qua donata est à Christo, potest uti contra quosvis Christiani nominis homines, tanquam singularia membra totius corporis, etiam contra Principes, qui suam opprimere libertatem nituntur; & consequenter adversus eos Leges condere, si fines temporalis Potestatis excurrant, & in sua jura involent. Potest eos excommunicationum fulminibus arceri, nisi à cæptis desistant. Potest quos mores in ipsis toleravit, emendare, immutare, prohibere, dominare, si jure non nitantur, in manifestos degenerent abusus, errorisque ac scandali ansam præbeant: multo magis, si aliquid nefas contra Jus Divinum, aut Canonicum adjunctum habeant. Potest denique Canones antiquos renovare, & eorum executionem temperare.

Waltrami Tractatus expenditur, & refellitur, aliæque objectiones solvuntur.

68. **P**riusquam id præstemus, scire oportet, Waltramum cum suis Confederatis nusquam suscepisse patrocinium investiturarum simoniacarum; quis enim Christianorum hominum has tueatur? sed solum contendisse, investuras, quibus nimirum non tantum Feuda Episcopatum, sed ipsi Episcopatus dabantur, ad Principes Laicos pertinere, non quidem Jure Divino, sed positivo Ecclesiastico: consequenter Pontificibus quidem

incubuisse simoniam ab illis, minime vero investuras ipsas tollere; utpote & jure positivo, & consuetudine legitime præscripta Principibus competentes. Quare bifariam procedunt illorum rationes, aliæ superædificantur Legibus, aliæ consuetudini inniuntur.

69. Argumenta ex Legibus sequentia asert Waltramus: Primum desumit ex *dist. 63. c. 22.* quo Adrianus Papa Sæculo VIII. jus & potestatem confert Carolo M. eligendi Romanum Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem, atque Episcopos per singulas Provincias inveliendi: ita quidem, ut nisi Archiepiscopus, vel Episcopus à Rege laudetur, & investiat, à nemine consecratur; & hoc quidem sub anathemate, ac bonorum confiscatione. Secundum ex ejusdem Distinctionis Canone 23. in quo Leo VIII. Sæculo X. ad exemplum Adriani idem privilegium Othoni I. ejusque Successoribus sub anathemate confirmavit. Addi potest his argumentis, Primo Oratio Gregorii VII. quam, teste Willhelmo Malmesburienli L. 2. de Gestis Regum Anglorum paulo ante mortem habuit, in qua hæc inter alia dixisse fertur: *Laudatus est Prædecessor noster Adrianus I. quod investuras Ecclesiarum Carolo M. concesserit, ita ut nullus electus consecraretur ab Episcopo, nisi prius à Rege insigniatur & annulo, & baculo.* Secundo, quod Paschalis II. apud eundem Willhelm. lib. 5. in privilegio investiturarum Henrico V. concessio proficitur sequentia: *Illud igitur dignitatis (seu investiturarum) privilegium, quod Prædecessores nostri vestris Prædecessoribus, Catholicis Imperatoribus, concesserunt, nos quoque tue dilectioni concedimus.* Igitur jure positivo ecclesiastico investituræ Principibus Laicis competeabant.

70. Resp. I. Si authentia eorum, quæ à Waltramo in medium allata sunt, admittatur, ex illis nil aliud extundi, quam Imperatoribus ob insignia eorum in Ecclesiam

eam merita Privilegium investiturarum, jusque nominandi Ecclesie Prælatos à RR. Pontificibus concessum fuisse; sed quid inde? nunquid horum Pontificum Successores tollere non poterant privilegium, quo in Ecclesie perniciem abutebantur Romani Imperatores, alique Laici Principes, quod ab eorundem Decessoribus, horum Antecessoribus, in ejusdem ædificationem concessum est?

71. Resp. II. ad primum argumentum, Adrianum I. nunquam concessisse Carolo M. jus eligendi Romanum Pontificem, & Prælatos Ecclesie investendi; sed hiitoriam illam, à Sieberto Henrici IV. contra Gregorium VII. egregio Satellite in sine suæ Chronographiæ Anno 1111. confectam, & ab incauto Gratiano in suum decretum circa A. 1151. illatam, esse purum putum figmentum, ad conciliandum desperatæ Henricianæ causæ quale quale sublidium. Quod gravissimis argumentis evincunt nostri Critici, præsertim Natalis Alexander Hist. Eccl. Sæc. 8. cap. 1. Quorum primum est: quod ejusmodi concessio non meminerint Anastasius Bibliothecarius, Eginhardus, alique antiqui Authores, qui res gestas Caroli M. scriptis commendarunt. Secundum: quod duplicis adventus Caroli M. Romam in ea historia narratio repugnet testimonio Authorem Carolo synchronorum. Tertium: quod Adrianus, quemadmodum ibi narratur, Carolo Patriatum nullum concesserit, nec ipsi eam dignitatem contulerit, in commentitia illa Synodo: siquidem Stephanus III. ipsum cum Pipino Patre, & Carolomanno fratre Patrium Romanorum appellaverat. Quartum: quia investituræ nomen recentius est ævo Caroli, ad significandam Episcoporum institutionem usurpatum. Quintum: quia incredibile est, quod ibi narratur, Carolum post Pascha Papiam rediisse ad castra, Urbem illam Regni Longobardici caput ad dedicationem compulsisse, ibi rebus ordinatis Romanam rediisse, Synodo interfuisse, inde Spi-

ram rediisse, & Laureshamensis Ecclesie dedicationi interfuisse postriede idus Augustas: hæc enim tam brevi temporis intervallo confecta verisimilis non est. Sextum: quod neque Carolus, nec ejus filii ficticio illo jure in Rom. Pontificis electione uquam usi fuerint (N. 44. h. t.). Septimum: quod Adrianus in epistola ad Carolum M. A. 787. data, quo Privilegium istud juxta Siebertum quartum decimum aannum necdum excessisset, indicet desiderium Christianissimi illius Regis, ut Episcopi Ravennatis electio non fieret abique Misorum suorum interventu. Cui respondet Adrianus, id nunquam factum, sed morem istum observatum etiam temporibus Pipini Regis, ut *decreto Cleri atque Plebis* ad Sedem Apostolicam perlato proprium Antilitem sibi consecrandum Ravennates peterent. Multo minus ergo 14. abhinc annis Carolo jus concessit eligendi Romanum Pontificem. Sed quod impostorem Siebertum amplius detegit, est, quod idem Pontifex anno sequenti ab illo, in quem epocham hujus concessiois collocat, nempe 774. ad eundem Imperatorem scribat: *Factas à se Episcoporum in Regno Longobardico, à Carolo nuper subactio, constitutorum ordinationes, post Cleri, & Plebis decretum ad se missum.* Jus itaque investendi, sive instituendi Episcopos Carolo non concesserat in Romana Synodo. Octavum: quod Florus Magister in tractatu de electione Episcoporum, quem scripsit circa annum 822. adeoque paucis post obitum Caroli M. ariitis, contentum Regis in electione Episcoporum consuetudine inductum doceat: ipsi ergo incognita erat concessio Adriani, & Romana Synodi. Lupus etiam Ferrariensis Abbas ep. 81. de jure Regum in electionibus stabilidone tractans, omne robur trahat à concessione Zacharie Pipino Regi facta: non omiffurus certe privilegium ab Adriano I. & Romana Synodo Carolo M. collatum, si quod extitisset.

72. Ad secundum dicit idem Natalis Alex.

Alex. loc. cit. Leonis VIII. Antipapa nullam esse in contrarium auctoritatem, qui falso exemplo se munuit, ut privilegium à se concessum Othoni, à quo fuerat intrusus, specioso colore indueret. At melior est responsio Baronii ad A. 774. ubi ait: *At non alterius, quam ejusdem Auctoris (id est, Sigeberti) vel huic similis putamus potem illam imposturam esse, quæ ejusdem Leonis VIII. nomine ab eodem Gratiano ibidem (id est, Canone sequenti) mox apponitur iisdem verbis in Synodo, &c. nam nulla in tota historia occurrit mentio Concilii Romani à Leone VIII. in Ecclesia S. Salvatoris habiti, vel concessionis hujusmodi factæ Othoni. Accedunt alix falsitatis notæ, quarum prima est: Quod falsum sit Adrianum I. Carolo M. hujusmodi privilegium concessisse (N. præced. h. t.). 2. Quod absurdum sit, Leonem VIII. concessisse Othoni jam Imperatori, ut esset Patritius & Rex, ut ibi habetur. 3. Quod hujus constitutionis violatoribus, non modo excommunicatio, sed ultimum etiam supplicium irrogetur: quod à stylo Pontificiarum Constitutionum alienum procul dubio novisset Leo, quondam Sedis Apostolicæ Proto-Scribanius.*

73. Ad primam additionem inquit Nat. Alex. sæculo XI. dissert. 4. art. 2. in fine: *Concessionem illam Carolo M. ab Adriano I. factam figmentum esse olim observavi, id est, loco mox à nobis relato: nec forsan verius est, sic Gregorium VII. perorasse, adeoque Wilhelmo deceptum fuisse; aut si ita est, ipsum Gregorium VII. in supposititium instrumentum incidisse; cum N. 71. luce clarius demonstratum sit, hanc Adriani concessionem esse supposititiam. Sed si Adversarii nihilominus vim quandam hac in Oratione Gregoriana ponere volunt, auctent & sequentia, continua periodo ab eodem Pontifice dicta: *Contra, pergit, laudatur in nostri sæculi Pontificibus, quod has donationes tulerunt Principibus.**

Poterat tunc rationabiliter concedi, quod nunc laudabiliter debet auferri. Cur ita? quod erat animus Magni (Caroli) adversus avaritiam invidius, nec facile aditum invenisset aliquis, nisi intrasset per ostium. — Nunc omnia Palatia Regum luxu & ambitu occupavit. Quare merito libertatem suam Sponsa Christi asseverat, ne illam tyranni ambitioso usurpatori prostruat. Cujus sententia & nos sumus (N. 64. h. t.). Quam autem vera sint, quæ in hac periodo narrantur, patet ex N. 61. & seqq.

74. Ad secundam additionem advertito, Paschalem II. in allato ibi fragmento nullam Adriani facere mentionem, sed Prædecessores solummodo laudat: quæ nominatio, sicut & ipsum privilegium, cum ab Henrico V. ipsi per summam violentiam extorta fuerit, rationibus N. 70. allatis præponderare haud debent; eo vel maxime, quod privilegium istud à Paschali in libertatem adserto solemniter fuerit rescissum, & annullatum.

75. Argumenta pro consuetudine legitime præscripta ibidem ex factis Laicorum Principum adnumerat Waltramus. Et primo adducit epistolam Gregorii M. quem Theodorico, Theodeberto, ac Brunihildi insinuare ait, ut absque simonia investituras Episcoporum faciant. Qui etiam Gregorius I. (addit ibidem) non est consecratus, donec Mauriti Imperatoris adfuit consensus. Secundo in medium adfert facta Successorum Caroli M. quos ait investituras Episcoporum fecisse, & eorum consecrationibus vel per se, vel per Nuntios suos aditusse. Tertio contendit, longe ante decretum Adriani Papæ, ejusque Successorum non unctos, seu Majores Domus investituras Episcoporum fecisse, scilicet Dagobertum, Sigibertum, Theodoricum, Hildericum, Pipinum filium Begge, Majorem Domus, Theodebertum. Ab his inthronizatos esse Remachum, Amandum, Aadamatum, Antpertum, Eligium, Lambertum, alioque Sanctissimi

Antimos Præfules: cum Reges isti in moribus suis satis essent notabiles, & solo nomine Regio per Majores Domus viverent. Quarto denique adfert exempla Othonis I. qui Joannem XII. deponi fecit, & in locum ejus Leonem ordinari. Quarto item Henrici II. qui, tribus de Papatu contentidibus depositis, Clementem II. in Sede Romana collocavit.

76. Respondeo I. generatim, recensita à Waltramo plus non probare, quam consensum Regum in canonicas electiones, & investituram regalium seu feudorum, Regibus præsertim Gallix, ab antiquo in usu fuisse: id quod ipsum loquuntur Notæ Historice in hunc titulum; at at probandum erat egregio Henrici V. contra Paschalem II. Apologix, usum investiturarum, quo ipse, & ejus Deceptor Henricus IV. non tantum Regalia Episcopatum, sed ipsos Episcopatus cum libertatis electionum canonicarum oppressione, simoniace, & cum exotica illa baculi annulique solemnitate, concedebant, antiqua niti consuetudine, vel positiva Ecclesiæ concessione; quod tamen nec præstuit, nec præstare potuit, cum recens fuerit usurpato, in Othonibus, eorumque Successoribus sæculo X. facta, atque dum in apertam tyrannidem, Episcopatumque nundinationem sacrilegam necdum vergebat, convenientibus oculis ab Ecclesiâ tolerata. (N. 23. h. t. & §. 2. fere per totum.)

77. Respondeo II. speciatim, & quidem ad primum: Me omnes Epistolas Gregorii Papæ ad præfatos Gallix Principes apud Coletum tom. 6. Conciliorum pag. 738. & seqq. perlegisse; nomen tamen investituræ, multo minus quod fieret ea solemnitate, quæ tempore Gregorii VII. in usu erat, non invenisse. Quinimo Gregorius M. supponit liberam illa tempestate in Gallia Cleri, Plebisque electionem, ut cum necessitate assensus vel permissionis Regiæ: dum ep. 5. & 114. ad Brunihildem, ep. 119. ad Theodoricum, & 57.

ac 64. ad Brunihildem Lib. IX. Auxiliis horum Regum Christianissimorum in convocanda Synodo, ad extirpandam detestabilem Simoniam, electionibus factis tunc passim irrepentem, implorat. Sed ex his ipsis Gregorii M. epistolis causa Gregorii VII. merito juvatur. Si enim Electoribus Simoniacis compescendis, Regum morigerorum auctoritatem recte imploratis dicitur Gregorius I. Regum Simoniacorum tyrannicis ausibus, quibus simili via obviari nequit; recte quoque per Vaticanam fulmina, & ablationem materiæ nocendi obstitisse dicendum est Gregorius VII. itemque Callistus II. nominationem ipsam, & assensum regum auferendo; eo ipsi, quod privilegium in perniciem concedentis, vel tolerantis versum, auferri privilegiato omnibus divinis, humanique juris possit. (N. 67. h. t.) Ad id, quod ibidem additur, Respondeo: Illum solum evincere R. Imperatoris consensum in electione Romani Pontificis fuisse necessarium: ceterum libertatem sacrarum electionum sanctam testam mansisse. Teste enim Joanne Diacono in Gregorii M. vita lib. 1. c. 39. illum *renitentem totis viribus Gregori, Senatus, Populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt.* Aliter se res habuit in causa Gregorii VII. & Henrici IV. ut ex dictis liquet. Quia dum posterioribus temporibus Græci Imperatores, alique Principes privilegio hoc ab Ecclesiâ ipsis gratiose concessio abuterentur, seque in electiones sacras ingererent, frænum ipsis, quemadmodum à Gregorio VII. sæculo XI. à Concilio Generali VIII. sæculo IX. Canone 22. impositum est: (N. 17. & 63. h. t.) nihil itaque novi attentavit Sanctissimus Pontifex.

78. Ad II. Resp. rem facti esse, nec illos Principes investitura ad opprimendam sacrarum electionum libertatem usos fuisse (quamvis hoc nomen illorum temporibus ne notum quidem esset). Quid, quod Adrianus I. Carolo M. consilium impertit, ne se ullis unquam Episcopalibus elec-

tionibus interponeret? & ipse Carolus M. profiteatur, concessam à se esse Clero Gallicano electionum Episcopatum libertatem, non tanquam novæ aliquæ gratiæ, & largitatis suæ; sed tanquam jus antiquum, quod sanxissent Canones: tanquam libertatem, quæ Ecclesiæ agnata, & cum illa adulta esset, cujus custodes essent Reges, & defensores? De quibus vide Conciliorum Gallicæ tomum II. pag. 96. & 120. item librum I. Capitularium c. 84. & utique concessimus pridem Adversariis consensum Regium, Regiam nominationem, imo investituram variis Ecclesiæ sæculis Principibus Laicis fuisse tum concessam, tum toleratam, imo de facto pluribus ex variis Concordatis convenire. Sed quid inde? nunquid illud, quod in Ecclesiæ emolumentum à bonis & piis Principibus ipsa vel concedente, vel connivente exercitum est, & de facto exercetur, ab ipsa rescindi non potuit, vel non potest, dum in ejusdem perniciem attentatur? Certe qui animum advertit, Provisionem Ecclesiarum non esse propter Provifores, sed propter Gregem Christi; nec de modo providendi in Ecclesia toties variato, nec de æconomia opposita Gregorii VII. & Leonis X. infra referenda scandalizabitur. Quæstio solum est, an Henricus IV. per usum investiturarum sacris electionibus se ingesserit? an earundem libertatem oppresserit? Episcopatus, Abbatis, &c. simoniace vendiderit? & an hoc Sacri Canonis prohibeant? an proinde iuste illis à Gregorio VII. privatus fuerit, eo vel maxime quod ejusmodi investituræ suo tempore recens usurpatio fuerint, in uno vel altero Henrici Prædecessore tolerata? id, quod in resolutione nostra evicisse confidimus. Per quod etiam patet ad tertium. Esto etiam daremus præfatos Reges in moribus suis fuisse satis notabiles; illorum tamen vitia non redundabant in perniciem libertatis sacrum electionum; cum ipso Waltramo teste Sanctissimos Præsules vel nominaverint,

vel investiverint: & si quandoque per unum vel alterum fuit violata, res illa facti erat, nec malum adeo evasit œcumenicum, ut œcumenica, quemadmodum sub Gregorio VII. medicina eguisset.

79. Ad quartum dicimus, Othonem hoc in facto limites suæ potestatis excessisse, adeoque graviter peccasse, quod Joannem XII. legitimum Pontificem, convocata Synodo, exautorari fecerit ea ex causa, quod ad Adalbertum Berengarii filium defecerat; etsi enim dictus Joannes Sedem Apostolicam invalens, quia tamen deinceps Ecclesiæ consensus accessit, legitimum Pontifex evasit. Videatur N. 47. h. t. quo vires hujus 4. & 5. argumenti penitus enervantur, atque invictè monstratur, *assensum Imperatorum in Rom. Pontificum electiones, vel ipsam etiam nominationem non alio niti fundamento, quam concessione Populi Romani, Othoni I. ejusque filio solum facta, non vero Henrico III. ut perperam asserit Waltramus, & post eum Onuphrius Panvinius opere infra sæpe citando: sic sicut perperam, & absque potestate legitima fuit facta, & ad Othonis filium tantum extenta; ita ab Othone III. Othonis I. nepote mero facto fuit continuata. Cæterum Otho Romani Pontificis electionem canonicè fieri sanxit, vetuitque: Ne ullus impedimentum Romanis illis afferret, quos ad hanc electionem per constitutionem SS. Patrum admittit consuetudo sub pena exilii; adeoque qui privatè vindictæ cupidine in transversum actus manus in Sacramentum extendit, ut publicis Ecclesiæ advocatus errorem domesticum emendavit. Nec obstat, quod postea Cives Romani eidem Imperatori contra perduelles Joannem & Adalbertum Romam advolanti, juraverint nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos præter consensum atque electionem Othonis Cæsaris Augusti, filiique ejus Regis Othonis (quod sub Henrico factum perperam asserit Waltramus); id enim imprudenter & temere, odio va-*

luciano

tiniano in Joannem XII. immorigeratum Pontificem egere, & limites suæ potestatis excessere: circa hoc tamen videatur (N. 47. h. t.)

80. Ad V. Certum est, tres Pseudo-Pontifices Benedictum IX. Sylvestrum III. & Joannem Presbyterum Romanum à Gratiano Religioso Presbytero pecunia pacta persuasos fuisse, ut Pontificatu cederent; ipsamque Gratianum postea electum, ac Gregorii VI. nomine insignitum, de Simonia in Sutriensi Synodo A. 1046. ab Henrico III. convictum, ab eodem non fuisse depositum; cum idem Pontifex eidem Synodo haud invitus præfuderit, & Synodiciis Canonibus atque Sententiis simoniaciis probatus, sponte sua Sede desiliens, Pontificalibus se insulis exuerit, teste Leone Othensi Lib. 2. Chronici Cassinensis c. 18. Nec Clementem II. Romanæ Sedi intrusit idem Henricus: sed opera & studio ejusdem summo Romani Cleri consensu creatus est Pontifex in Dominicæ Nativitatis pervigilio eodem A. 1046. Verum sicut Sæculi VI. initio Schismaticorum hominum factiones indomabiles in causa fuerunt, quod Ecclesia brachium sæculare Regum componendis fluctibus implorare debuisset; quemadmodum tempore Schismatis inter Symmachum legitimum Pontificem & Laurentium Antipapam contigit, hæcque res in ejusdem libertatis præjudicium sensim celsit, cum abinde Reges Gothi, etiam Arriani, & post ipsos Greci Imperatores usque ad Pipini & Caroli M. tempora, seu ad sæculi VII. finem se Sacris Antistitum Electionibus immiscuerint, uti illorum temporum docet historia, & exemplo Gregorii M. à Waltramo allato, aliorumque Præsulum constat; quæ Regum manus, longior sensim evadens, subinde per Concilium Generale VIII. (ut jam insinuavimus) fuit decurtanda: ita mox enumerata turbulentiissima Romanorum Schismata junctæ scissimæ simoniæ, aliisque vitiiis, dum Othones, Henricosque Ecclesiæ periclitanti Sz-

Tom. I.

culo X. evocarent Advocatos; eorum Successoribus intemperantioribus anam præbuere manus in Sacramentum altius inferendi, non alia quam Gregoriana constantia, atque ab eodem arrepta æconomia, Sæculo sequenti inde efficiendas.

81. Argumentum III. Waltrami desumitur ex bono procedendi Gregorii VII. hac in causa, quem indifferenter, & vehementer intempertivè arguit ob excommunicationis sententiam in invectentes latam. En ejus verba: *Romani Pontifices (inquit) alique Præsules de fundis & rebus per devotos Laicos & Laicas adquisitis, & à Sæculari Potestate confirmatis struxerunt, & ornaverunt Ecclesias, & à quibus accepterunt gratiam, non debent ipsis inferre contumeliam: & si de investituris peccaverunt, exemplo Gregorii exhibeantur, quod Paulus dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Addit: Nil enim refert, si verbo, si precepto, si baculo, sive alia re, quam in manu tenuerit, investiat & intronizet Rex, & Imperator Episcopum, qui die consecrationis veniens, anulum & baculum (à Rege vel Imperatore acceptum) ponit super Altare, & in eam pastoralem singula suscipit à stola & auctoritate S. Petri. Vult ergo Waltramus, Principes investituræ abutentes corrigendos quidem fuisse, at non spoliatione jurum nominandi Episcopos, eosque investendi, &c. utpote qui hæc cumulatis adeo in Ecclesiæ beneficiis, puta fundatione Episcopatum, eorundem amplissimis dotationibus, Episcoporum in S. R. I. Principes, Statuque evectione, Regalium concessione, &c. saltem meriti fuerunt.*

82. Ad hanc Waltrami querelam, quam Recentior quidam Publicista Anonymus in Jure Publico Germanico, Amstelodami ab hinc 4. annis typis Gallicis excusulo, tom. 1. c. 3. ex Onuphrio Panvino Ord. S. Augusti, in Hist. Greg. VII. apud Gresch. tom. 6. p. 1. pag. 97. recen-

Gg

tissimè

tissimæ editionis recoquit, aut quam potius ipse Onuphrius, Vir alioquin Catholicus, & doctissimus, in vita Gregorii VII. describenda Sigeberto, Waltramo, aliisque Henrici fautoribus nimium fideus, ex Waltrami tractatu, quem hic refutandum suscepimus, teste eodem Grefchero, ibidem in Scholio exscriptis; fatetur Natalis Alexander Hist. Eccl. Sæculo XI. differt. 4. N. 3. Quod si Romani Imperatores iis finibus, quibus investituræ initio circumferibantur, vi quorum *procedere* debebat electio, seu Cleri & Populi consensus, tum accedere consensum Regium oportebat, qui electionem prohiberet, secundum hæc Episcopatus donum, seu investituram, quæ gratis omnino fieri debebat, consecratio denique sequebatur: si, inquam, his finibus Romani Imperatores se continuissent, nullam de investituris quæstionem Romani Pontifices illis intulisset: quamquam meo iudicio ex notione aptæ & convenientis cæremonie infra adferendæ (tit. 8. N. 48. & 49.) baculus & annulus valde inepte & inconuenienter adhibebantur ad exprimendam traditionem temporalium bonorum Episcopatus vel Abbatie; cum ex natura sua hæc signa Pastorem Potestatem, & Spiritualem Despositionem Electi cum Ecclesia exprimat: quæ utique autoritate laica fieri nequaquam possunt. At, quomodo sese his finibus continuerit Henricus? ex dictis N. 64. & seqq. patet. De Philippo vero I. Galliarum Rege scribit Gregorius VII. ep. 35. lib. 1. Inter cæteros nostri hujus temporis Principes, qui Ecclesiam Dei peruersa cupiditate venundando dissipauerunt, & Matrem suam ancillari subiectione penitus conculcarunt, Philippum Regem Francorum Gallicanas Ecclesias in tantum oppressisse certa relatione didicimus, ut ad summum tam detestandi hujus facinoris cumulum pervenisse videatur. Quibus si addantur oppressiones & iniquitates, quas Willhelmus Rex Angliæ prætextu juris investiendi perpetravit; junctis

illis, quæ Henricus ejus Successor attentavit in Anselmum Sanctissimum Archiepiscopum, non obstante quod die inaugurationis suæ jurasset, omnes oppressiones & iniquitates, quæ sub fratre suo emerferant, in omni sua dominatione, tam in Ecclesiis, quam in secularibus negotiis se prohibiturum, & subversurum, de quibus consule Eadmerum, qui harum rerum, quibus interfuit, seriem simul & vitam Beati. illius Præsulis scripsit: miseram Ecclesiæ faciem sub investiturarum iugo satis conspicere licet. Quæ alia, quam Gregorii VII. ejusque Successorum, cæconomia hæcenus enarrata reformari non potuit; qua nempe collatio Episcopatum, Abbatiarumque Principibus Laicis ablata, & investitura temporalium bonorum per Sceptrum ipsis permilla est. (N. 27. h. t.)

83. Sed ut Waltramo, ejusque hoc in §. Exscriptori Panvinio ex asse satisficiamus, atque ita dulcorem secretæ satisfactionis, quam ex hæc Panviniana periodo haurit, Lectoribusque illius ibidem spondet relatus Publicista, absynthio aliquantisper aspergamus, ex ejusdem Gregorii VII. vita ab Onuphrio exarata, atque ex propriis SS. hujus Pontificis Epistolis demonstratum inus, eundem Paulinam amissim in negotio investiturarum prætergressum haud fuisse. Imprimis ergo idem Author apud Gref. l. cit. pag. 108. col. 2. de Henrico ita satur: *Henricus enim IV. Imperator, cum multis & maximis bellorum occupationibus implicitus ingenti pecunia vi indigeret; Episcopatus & Abbatias plerumque his, qui plus ei offerebant, largiebatur, personarum conditionis ratione nulla habita. Quod factum hæresis simoniacæ labem fugere non poterat. De hac igitur re, & aliis multis criminibus apud Sedem Apostolicam tam sub Alexandro II. (Gregorii Decessore) quam sub Gregorio VII. accusatus est. Quid facere debuit Gregorius, Supremus Ecclesiæ Pastor, Juriumque ejusdem*

sem Defensor (id enim contra Dominos Protestantes, velint nolint, hac in controversia sumimus; cum non queratur, an increpato Henrici Simoniaci ad Romanum Pontificem pertinuerit; sed an Romanus Pontifex modum in increpando Henrico servaverit): Quid, inquam, facere debuit? Juxta Waltramum arguere, obsecrare, increpare in omni patientia, & doctrina.

84. An id fecerit, audiamus ex Panvinio l. cit. Juxta eundem pag. 102. col. 2. Hildebrandus, A. D. 1073. mortuo Alexandro II. Calendas Maji, in sui Decessoris obsequio à S. R. E. Cardinalibus, Clericis, Acolythis, Subdiaconis, Diaconis, & Presbyteris, presentibus Venerabilibus Episcopis, & Abbatibus, Clericis, & Monachis, consentientibus plurimis utriusque sexus, diversique Ordinis, & acclamantibus Laicis, invitus & reluctans in Romanum Pontificem electus est, ut habet ejusdem electionis forma, à Panvinio ex Libro Registri Gregoriani ibidem pag. 103. col. 1. relata: qua sola injustæ tabellæ Bennonianæ, aliorumque Schismaticorum aniles narratiunculæ circa electionem Gregorii VII. tum in vulgus sparæ resellerentur, 32. probatæ fidei Scripturis, quos Bellarminus lib. 4. c. 13. Controversiæ de Romanis Pontificibus eidem imperitissimo Bennoni, & duobus, vel tribus ejusdem farinæ Scriptoris pro eodem opponit, etiam omisiss. Et consentit ipse Panvinus L. cit.

85. Electus igitur Hildebrandus Archiepiscopus in Romanum Pontificem tempus opportunum invenisse ratus est, quo Ecclesiasticam libertatem, tam Romanæ Ecclesiæ, quam aliarum, pro qua tanopere privatus laboraverat, jam Pontifex Maximus renuntiatus, asserere posset, omniaque in pristinam vindicare libertatem. Onuphrius pag. 103. col. 2. Maxime, an bonum propositum? Bonum. Quare? Quia in Germania, in Gallia, in Anglia, &c. opulantis Principibus, at-

que Beneficia plus offerentibus Aulicis vendentibus, simonia, atque concubinitus Ecclesiam inundabant, gregibus lupi, hortis Spontæ immaculatæ Christi hirci præciebantur (N. 64. 82. &c. h. t.)

86. Ut propositum tam plenum alex vir unus, quem mundus fortassis protulit, exequeretur, atque frontem adamantinam frontibus ferreis Principum potentissimorum, audacium, juvenum, atque de præteritis suis Juribus zelotyporum, eorumque sequacium Ecclesiæ Præsulum, pro carne sua, quam concubitus suaviter fovebant, prohi! pudor! mori paratorum, opponeret, quid fecit? Audiatur in compendio Panvinus. Imprimis, ut electionem suam firmaret, atque omni exceptioni superiorem redderet, dum res arduæ, ab eo præconceptæ, in executionem ituræ essent, duxerit necessitati, & præteritis ab Imperatoribus consuetudini celsit, rationem electionis suæ per Legatos suos Henrico exponendo, eumque, ne assensum præberet, attentius exorando: *Quod si non faceret, certum sibi esset, quod graviore, & manifestos ipsius excessus nullatenus impunitos toleraret.* Baronius ad A. 1073. quæ tamen protestatione non obstante, atque Aulicorum, id ipsum Henrico vaticinantium, suasionibus posthabitis, idem Imperator, explorata Gregorianæ electionis genuitate, atque approbata, eundem in Sede Apostolica *lætissimo animo* confirmavit: assensum illum esse Virum Sanctum, & tanto Sacerdotio dignissimum. Uti testatur idem Panvinus l. cit. pag. 104. col. 4. & ipsa Gregorii Acta apud Baronium ad A. 1073. tomo XI. pag. 419.

87. Electione sua in Romanum Pontificem per Gregorium Vercellensem Episcopum, Italiæ Regni Cancellarium, ab Henrico firmata, & ipse post eandem demum consecratus, (consecrari enim prius noluit) ipso suæ electionis anno, videlicet 1074. Romæ in Basilica Lateranensi Synodum celebravit, in qua 30. illa famosa Capitula, quæ *Dictatus* appellantur,

tur, edidit. Quibus contra prævisam tempestatem, à zelo suo Apostolico, quem extirpandæ simoniacæ, concubinatui, atque libertati Ecclesiasticæ postliminio revocandæ acinzerat, in vortice turbulentissimo excitandam sese munivit. In quo Dictatu principia, quibus jura tollendi investituræ, & libertatem Ecclesiæ restituendam, divinis, humanisque legibus conformia defendimus: de aliis, quæ huc non pertinent, præscindendo.

88. Dictatus igitur sui præsidio, & causæ æquitate fultus Gregorius VII. A. 1075. in secunda Synodo Romæ à se celebrata tam recipientes investituræ, seu Episcopatus, vel Abbatis de manu Laicæ, quam Imperatores, Duces, Marchiones, & alios Laicos eas conferentes gratia B. Petri, & introitu Ecclesiæ interdixit (N. 26. h. t.). *Benigne tamen primum, & humaniter Henricum Regem per litteras suas deprecatus est, ut subjectionem S. Romanae Ecclesiæ non abnueret, tanquam bonus & Catholicus Princeps, atque se eidem Ecclesiæ devotum filium exhiberet; hortatusque est, ut à simoniaca heresi, id est, ad Episcopatum, & Abbatiarum venditione, sive mercatu, quas largitione corruptus, conferebat, omnino se temperaret.* Quod erat unum ex Panvinio l. cit. pag. 105. col. 2. Item ut à collatione ipsa Episcopatum, & Abbatiarum per annulum & baculum abstineret, libertatem Ecclesiæ electionem restitueret, & quidem *semel, secundo, & tertio;* quod erat alterum ex Willhelmo Tyrio de bello sacro lib. 1. cap. 13. Rem ipsam ex epistola 10. libri 3. Greg. VII. ad Henricum data in apicem deducamus. In ea fatetur decreto suo hoc numero relato investituram sustulisse. *Attamen, pergit, ne hæc supra modum tibi gravia, aut iniqua viderentur, per tuos fideles tibi mandavimus, ut prava consuetudinis (investiturarum) mutatio te commoveret, mitteres ad nos, quos Sapientes & Religiosos in Regno tuo invenire posses: qui se ali-*

qua ratione demonstrare vel adstruere possent, in quo, salvo æterni Regis honore, & sine periculo animarum nostrarum, promulgatam Sanctorum Patrum possessionem temperare sententiam, eorum consiliis condescenderemus. Quod quidem etsi à nobis tam amabilius monitus non fuisset, æquum tamen fuerat, ut prius in quo te gravaremur, aut tuis honoribus obstarem, rationabiliter à nobis exigeres, quam Apostolica decreta violares.

89. Jam quæro ex Waltramo, an Paulinam regulam Gregorius exceperit? Investituræ, quibus ipsi Episcopatus, & Abbatis per annulum à Principibus Laicis confererentur, nulla positiva Divina vel Ecclesiastica concessione succiebantur (N. 71. & seqq. h. t.); sed erant recens usurpatio ab Ecclesia tolerata (N. 23. h. t.); erant insuper contra consuetudinem à primis Ecclesiæ sæculis vigentes (N. 62. h. t.): insuper contra Canones Conciliorum, etiam Generalium (N. 17. 63.): erant insuper foedatæ labe turpissimæ simoniacæ (N. 64. & seqq.). Gregorius VII. proposuit simoniam de medio Ecclesiæ tollere, & libertatem electionum, jure Divino, & Ecclesiastico sanctam, Ecclesiæ restituere (N. 86. h. t.): ad utrumque hunc finem consequendum A. 1075. investituræ laicæ, tam imbecillibus fulcibus innixas, & in tantos abusus vergentes sustulit (N. 87. h. t.): Henricum semel, secundo, ac tertio, ut eas dimitteret, paterne admonuit (ibi); se ipsas illi permisuram, si jure factas demonstrare posset, promissit (ibi): Henricus inconstans finaliter tandem via facti illas retinuit, (Ep. 10. citata) Pontificem, quem prius invitum, & zelum suum sibi comminantem *letissimo animo*, rejecto Aulicorum suorum Episcoporum consilio, ipse in Sede Apostolica confirmaverat, post sui hoc anno increpationem, sequenti Anno 1076. in Conciliabulo Wormatiensi deposuit. Quis igitur classicum ad tristes illas sequelas, quas

quas adeo exaggerat laudatus Publicita, in Germania cecinit? Non est hic loci suscitare omnia, quæ posthac Gregorius VII. in Henricum egit: sufficit, eundem ab eo ob pertinacem retentionem investiturarum jure excommunicatum fuisse; his enim armis contra perturbatores Ecclesiæ usi etiam sunt Apostoli. (ad Corinth. c. 5. v. 4. ad Thell. c. 3. v. 6. 14.) Non igitur clamet Panvinus decretis Gregorianis Romani Imperii dignitatem fuisse everfam, Czarique dimidium Imperii fuisse ereptum. Imperium enim everti nequit, si jus cuique suum tribuatur, aut postliminio restituatur, quod hoc in casu factum esse demonstravimus. Nec Czari ereptum dici potest id, quod jure non possedit. Neque conqueratur ter laudatus Publicita, decretis Callistinis rem Czari esse ereptam, umbram vero relictam, dum illis nominatio Episcoporum, Abbatumve Henrico V. ablata, investitura vero quantum ad Regalia Episcopatum, &c. permissa est. Ut enim justa esset querela, rem ipsam Imperatores jure possidere, & jure exercere debuissent; cujus tamen contrarium à nobis hucusque probatum est.

90. At dices: Si Romani Pontifices jure damnaverunt investituræ, quibus ipsi Episcopatus & Abbatis confererentur; cur Leo X. in Galliis liberas electiones per famosum Concordatum Gallicum postliminio sustulit, & jus nominandi Ecclesiæ Præfules Regibus ex arte contulit?

91. *Respondeo.* Cum Sacri Canones, Pontificumque Decreta ingestionem in sacras electiones Laicis Principibus solum prohibeant; nullatenus autem inhabiles declarent juris nominandi ad Episcopatus & Abbatis, id, quod ex hæcenus dictis in apicem est; atque electiones ipse non in bonum & utilitatem Electorum, sed Gregis Dominici inlicitæ sint: utriusque Pontificis opposita circa illas œconomia approbanda est, quando prior ingestionem in illas, dum in detrimentum Ecclesiæ, Gregisque Dominici cedebat, at-

que à Principibus Laicis nativo quodam jure exercebatur, prohibuit; alter jus nominationis in bonum & utilitatem Ecclesiæ Regibus Gallie gratiose concessit.

92. Argumentum IV. sumitur ex ep. 60. S. Ivoonis Carnotensis A. C. 1099. ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, Sedis Apostolicæ Legatum data, quam idem Goldastus in eadem Apologia adducit sub hoc titulo: *Reverendissimi, & Illustrissimi Principis Ivoonis Episcopi Carnotensis de investitura Episcoporum & Abbatum pro Henrico IV. Imperatore, & Philippo I. Rege Francorum, contra Urbani II. novationes in Imperio, & Regno. Verum quantum eraverit hominibus in Sede Apostolicam excecatus, apologiam Ivoonis Sanctissimi Episcopi, etiam ad Henricum IV. extendendo, ex seculo hujus epistola, textu ipso, aliisque circumstantiis sit manifestum. Præceperat Hugo Ivoonis & Comprovincialibus Episcopis, ut à consecratione Daimberti Senonensis Archiepiscopi electi abstinerent, duplicem ob causam: primam, quod sibi ante consecrationem præsentari, ac subjectionem & obedientiam tanquam Primati profiteri deberet: secundam, quod investituram Episcopatus de manus Regis accepisset, contra Pontificum & Synodorum decreta. Quod primum impedimentum spectat, respondet Ivo, ad illam Primati obedientiam professionem Episcopos ante consecrationem non teneri: nec jus istud in Senonensi Provincia, aut in aliis antiquitate institutum, vel consuetudinem servasse. Quod secundum attinet, Daimbertum investituram à Rege accepisse negat: quamvis concessio Episcopatus post canonicam electionem, quovis modo à Rege facta, Fidei vel Religionis minime obestet; cum traditio baculi & annuli à Principibus nullam Sacramenti speciem gerat. Hujusmodi concessiones & investituram ab Ecclesia non esse improbatam, sed solum canonicam electionum oppressionem, & corporalem investituram per-*



traditionem annuli & baculi ab Urbano II. fuisse prohibitam & damnatam. Octavam Synodus prohibuisse quidem Principibus, ne electioni ad ejus opprimendam libertatem se immiscerent, non vero ne Episcopatus post legitimam electionem concederent. Parum autem referre, quo signo fieret hujusmodi concessio; cum Reges nihil spirituale dare se persuasum habeant, sed solum feudorum possessionem, quæ Regibus accepta referri debet, qui munificentia sua Ecclesias ditant. Ex his siquidem manifesto liquet, S. Ivonem defendendas solummodo suscepisse investituras, quæ fiebant salva libertate canonicarum electionum, & absque baculo & annulo: quales, dimissis ad mandatum Urbani II. illis, quibus libertas electionum opprimebatur, & quæ fiebant per baculum & annulum, solum retinuisse Philipsum, constat, tum ex tenore hujus epistolæ, tum ex eo, quod Paschalis II. Urbani Successor, in Gallias confugerit, Ludovici Crassi præsidium adversus Henricum V. Imperatorem imploraturus: qui usum investiturarum contra Pontificia decreta, & anathema pertinaciter retinebat. Quod sane Paschalis non fecisset, si Rex Galliarum tunc temporis solemnem investituram, prout erat ab Urbano II. damnata, æque ac ipse Imperator usurpasset. Quod autem ibi dicit Ivo: *Quæ concessio, siue fiat manu, siue nutu, siue lingua, siue virga, quid refert?* Quibus verbis fugillare videtur Romanos Pontifices, alioquin Catholicos Præfules, qui in solemnitate baculi & annuli scandalizabantur, eamque una prohibebant, nil refert: imprimis enim hæc solemnitas non fuit principale motivum damnandi, tollendique investituræ; sed oppressio libertatis Ecclesiasticarum electionum, & fœda simonia, quæ ob altissimas, quas, patrocinantibus investituris, fixerat radices, funditus, his non sublatis, eradicari haud poterat. Aliunde autem hæc cærenonia erat inconueniens, eo quod baculus & annu-

lus de se fiat signa Spiritualis Potestatis, & Conjugii Episcopum inter & Ecclesiam, ut dictum est. (N. 82. h. t.).

## §. III.

## De Confirmatione Episcoporum.

93. **E**X dictis §. I. satis liquet, à primis Ecclesiæ sæculis in usu fuisse, ut Electus Prælatum siue Episcopatum non obtineret, nisi per confirmationem, seu probationem electionis factæ à debita instantia.

Can. 4. Concilii Nicæni N. 9. h. t. Can. 12. Concilii Laodicæni N. sequenti, &c.

94. Jus confirmandi, seu approbandi Episcopum à Clero & Populo electum primitus videtur fuisse communiter apud Metropolitanum & Comprovinciales Episcopos.

Can. 12. Concilii Laodicæni ante Nicænum celebrati edicitur, ut Episcopi iudicio Metropolitanorum, & eorum, qui circum circa sunt Episcoporum, provehantur ad Ecclesiasticam Dignitatem. Metropolitanus igitur cum vicinis, id est, Comprovincialibus Episcopis desert hæc Synodus constitutionem, siue provectionem Episcoporum: idque indubie, ob approbationem, & confirmationem electionis, quæ ab ipsis secundum temporis illius disciplinam dependebat.

95. Sensum tamen, saltem ex tacito Ecclesiæ consensu jus electionem Episcoporum discutendi, easque ut canonicas vel approbandi, vel reprobandi præcipue ad Metropolitanum devolutum est.

Id colligitur ex Can. 4. Concilii Nicæni, apud Gratianum dist. 64. c. 1. ubi Synodus eorum, quæ sunt (in electione), confirmationem in unaquaque Provincia à Metropolitanis fieri mandat. Item ex Can. 6. ejusdem Synodi, apud Gratianum cit. dist. ordine 8. ubi ait: *Illud generaliter clarum est, quod si quis, præter sententiam Metropolitanam, fuerit factus Episcopus*

Episcopus, hunc magna Synodus definit Episcopum esse non oportere. Congruentiam hujus variationis Canoniste ex eo deducunt, quod Metropolitanus inter Episcopos Ordinarios primus, & Præses esset; neque semper omnibus Comprovincialibus Episcopis commodum esset ad singulas Episcoporum Ordinationes venire.

96. Jus tamen confirmandi electos Episcopos primis V. Sæculis non competebat Metropolitanis private ad Patriarchas, Vicarios Apostolicos, & Exarchos.

Quantum ad 1. p. famosus Canon 6. Concilii Nicæni confirmat antiquam consuetudinem, quæ potestatem Episcopi Alexandrini propagabat in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim: propterea quod consimilis consuetudo effundit in longe plures Provincias potestatem Romani Pontificis. Cujus Canonis, misere à multis lacerati, genuinus sensus est: Quod Patriarchæ Alexandrino factum testum debeat manere exercitium Metropolitanum, seu potestas confirmandi, & consecrandi Episcopos in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ex antiqua consuetudine eidem competens; non obitante, quod amplissima hæc Diocesis plures numeraret Metropolitans: quemadmodum illud ex simili consuetudine competit Romæ Urbis Episcopo, qua Patriarchæ Occidentis. Id quod constat tum ex occasione conditi hujus Canonis, quam dedit Meletius Sycopolitanus in Ægypto Episcopus, qui adversus Alexandrum in Alexandria seditionem movens, multis Urbibus & Episcopos ordinavit, & Presbyteros & Diaconos, quem propterea Nicæni Patres ab Ecclesiæ gubernaculis repulerunt: ut, scripsit Theodoretus Hæret. Fab. lib. 4. c. 7. tum ex ipsis verbis Canonis, quæ subsequuntur, videlicet: *Similiter & in Antiochia, & in aliis Provinciis sua privilegia, ac suæ dignitates Ecclesiis servantur. Illud au-*

tem est omnino manifestum, quod si quis absque Metropolitanis sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definit non esse Episcopum. Quid evidentius, quam hic de solis Metropolitanis, ac præcipue privilegiatis sermonem esse? vade Dionysius Exiguus Canonii hunc præfixit titulum: *De privilegiis, quæ quibusdam Civitatibus competunt.* Et Innocentius I. ep. 18. ad Alexandrum Antiochenum Episcopum ait: *Revolventes auctoritatem Nicænae Synodi — qua super Diocesim suam prædictam Ecclesiam (Antiochenam) non super aliquam Provinciam (1) recognoscimus constitutam. — Itaque arbitramur, frater charissime, ut sicut Metropolitanus auctoritate ordinas singulares, sic & cæteros non sine permisso, scientiæque tuæ sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos, literis datis, ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum arbitratu ordinant; vicinis autem, si astimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ status pervenire. Quorum enim te maxima expectat cura, præcipuum tuum debent mereri iudicium.*

Quantum ad 2. p. Leo Papa ad Anastasium Thessalonicensem Archipræsulem, suum in Provinciis Græciæ Ditioni Patriarchatus Romani adscriptis, Vicarium Apostolicum ep. 84. c. 6. hæc scribit: *De Persona consecrandi Episcopi, & de Clerici, Plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quoque in Provincia bene placuit, scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas.*

Quantum ad 3. p. De tribus famosioribus Exarchis Ephesino in Asia minori, Cæsariensi in Ponto, & Heracleensi in Thracia, quorum ampliore mentionem fecimus N. 6. h. t. exlat Canon 2. Synodi Constantinopolitane I. quæ est Generalis

(1) Diocesis juxta dialectum illius ætatis plures sub se Provincias continebat.

ralis II. sequentis tenoris: *Episcopi ad Ecclesias, quæ sunt ultra suam Diocesim, suosque limites, non accedant (maxime confirmationis & ordinationis causa), sed secundum Canones, Alexandria quidem Episcopus Ægyptum solum regat; Orientis autem Episcopi Orientem solum administrant, servatis privilegiis, ac præminentis, quæ sunt in Nicæni Concilii Canonibus (Can. 6. mox relato), Antiochena Ecclesia. Et Asiatica Ecclesia Episcopi, quæ sunt in sola Asiatica administrant: & Thraciæ Episcopi Thraciam tantum regant, & Pontanæ Pontaniam. Non vocati autem Episcopi ultra Diocesim non transant ad ordinationem, &c.* Deinde in Concilio Chalcedonenſi A. 451. illud novatum est, ut ab Episcopo Constantinopolitano posthæc ordinarentur Metropolitanæ trium horum Exarchatum, nec non & Episcopi omnes barbaricarum circumpositarum Regionum: permisis unicuique Metropolitanæ ordinationibus Episcoporum sibi obnoxiorum in singulis. Erat ergo inter hos Primatus, seu Exarchos discrepantiæ nonnihil, inquit Thomassinus de vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. lib. 2. c. 8. cum alii ordinarent suæ vastissimæ Ditionis (quæ Diocesis nomine in sensu contrario ad modernam huius vocabuli significationem veniebat) non Metropolitanos tantum, sed & Episcopos prorsus omnes: alii solos Metropolitanos ordinabant: alii neutros ordinabant, sed ordinationem suspendebant, donec electionem examinassent, approbassentque. In communi vero illud obervabatur: *Ut confirmarentur hi Episcopi omnes, non à suo tantum Metropolitanæ, sed & à Primate, seu Exarcho totius Diocesis, seu Territorii Patriarchalis.*

97. *Idem & sequentibus seculis usque ad VIII. ipsi Metropolitanæ à suis Primatibus vel Exarchis, Vicariis Apostolicis, sive à Patriarchis confirmabantur.*

Vide dicta N. præcedenti. 2. pars inde constat, quod Hormisdas Papa ep. 22. ad

Dorotheum Episcopum Thessalonicensem, causam Joannis Nicopolitani Metropolitanæ, nolentis confirmationem à dicto Primæ Thessalonicensi, homine in Acaciano Schismate obfirmato, petere, Sæculo VI. inde non excuset, quod illam ab ipso non petierit, sed quod illam ab Homine Schismatico petere noluerit. Id tamen juris in Metropolitanos Gallia ejusdem Regni Primatibus, aut Vicariis Apostolicis nunquam concessum fuisse, affirmat rerum Gallicarum Scriptores, & ex mox dicendis clarescet.

98. Vigente ea disciplina Romanus Pontifex plures Metropolitanos, quibus nulli præerat Primates, vel Exarchi, confirmabat; non tamen in Gallia, Anglia, Africa.

Sic S. Gregorius M. lib. 3. cap. 15. ad Episcopos Dalmatiæ prohibet, ut nulli in Salonitana Ecclesia sine sua permissione, seu confirmatione manus imponant; & Maximi præsumptionem hoc in passu redarguit. Sic idem lib. 4. ep. 6. ad Episcopos Illyrici ordinationem Joannis Archiepiscopi Primæ Justinianæ confirmat. Sic lib. 2. ep. 29. 30. & 31. Joanni Subdiacono in commissis dat, ut Constantinæ Diaconum in Mediolanensem Archiepiscopum cum suæ autoritatis assensu faciat consecrari.

Quantum ad Gallias Aurelianense Concilium A. 833. Can. 7. jubet, Metropolitanos ordinari ab omnibus Provinciæ Episcopis, quod ea per vetusta sit Ecclesiæ consuetudo. Item Aurelianensi III. A. 538. Can. 3. fatius visum est à Metropolitanis aliis ordinari Metropolitanos, tantibus omnibus Provinciæ Episcopis. *In his porro*, inquit doctissimus Thomassinus p. 2. lib. 2. cap. 19. N. 10. *ne vestigium existit, ex quo suspicari possit, Gallia Metropolitanæ à Papa confirmandos fuisse.* Idque roborat ex eo, quod Vicarij Apostolici in Galliis à confirmatione Metropolitanorum semper abstinerint, quemadmodum N. præcedenti insinuavimus.

De

De Anglia, & Africa idem Author adeatur l. cit.

99. Patriarchæ, Vicarij Apostolici, & Primates usque ad tempora Reservationum Pontificiarum à nullo confirmabantur.

Vicarios enim Apostolicos ipsa Sedes Romana instituit. De Primatibus Sæculo IX. Hincmarus Opus. 33. c. 17. ita dicitur: *Quibus Canonum decretis, & Sedis Romane sententiis claret, eosdem Metropolitanos Primates esse singulos singularum Provinciarum, qui ex antiqua consuetudine, & Apostolica traditione, & convocare Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari à Provincialibus, sine cuiusdam alterius Primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas Provincias queunt, &c.* Loquitur hoc loco Hincmarus de Primatibus honorariis, sui illis, qui nullos Metropolitanos sub se habebant, & nulli alteri Primati erant subiecti, de quibus nos N. 6. h. t. Si ergo hi, sine alterius Primatis interrogatione, seu confirmatione, ordinabantur, multo magis Primates Jurisdictionales, & ipsi Patriarchæ. Quamquam enim Patriarchæ, datis ad Romanos Pontifices epistolis, iisdem primitias suæ ordinationis dedicarent; id tamen solummodo fiebat officio humanitatis, charitatis, & unionis cum prima Sede testandæ gratia, uti ex ep. 71. Hormisdæ ad Epiphanius Constantinopol. Patriarcham data, & ejusdem Epiphanius responsoria ad hunc Pontificem liquet. Quas vide apud Coletum tomo V. Conciliorum col. 665. & 666.

100. Dum disciplina illa obtineret, ut Episcopi à suis Metropolitanis, hi à suis Primatibus, vel Patriarchis confirmarentur; sæpe nihilominus recursus fiebat ad Summum Pontificem.

Id inastatis tantum quibusdam casibus fiebat, ut nimirum inexpugnabiles quidam obices post electionem submoverentur; puta, dum irritanda esset Metropolitanæ confirmatio, Canonibus infesta; vel

dum confirmatio danda, quæ sine dispensatione dari requiret, vel dum missio Pallio Archiepiscopi quodammodo confirmarentur; vel denique dum ob dissidia Electorum, aut tergiversationem Metropolitanæ nominationi, vel confirmatio ad Papam devolveretur: quemadmodum exemplis mediæ ætatis probat Thomassinus p. 2. lib. 2. c. 30. per totum.

101. Romani tamen Pontifices per similes devolutiones Juri Metropolitanico ante reservationes Beneficiorum (N. 29. h. t.) derogare noluerunt: nec confirmandi jus exercerunt, nisi ad utilitatem Ecclesiæ.

Quantum ad r. p. factum rectum fuisse Metropolitanis suis confirmandi Episcopos, Primatibus vero & Patriarchis sui confirmandi Metropolitanæ per octo priora Sæcula, ex dictis satis liquet. Pro IX. Sæculo magnificum hanc in rem exemplum suppeditat Stephanus VI. teste Floardo lib. 3. c. 1. qui Theutoboldum Ecclesiæ Lingoniensis Diaconum à Clero & Populo in ejusdem Civitatis Episcopum electum, atque ad se propter Lugdunensis Metropolitanæ in deneganda eidem confirmatione contumaciam bis missum (volens Lugdunensi Ecclesiæ privilegium immutatum consistere) confirmare, & ordinare, nisi post ulteriorem ejusdem Lugdunensis Archiepiscopi indurationem, noluit. Pro eodem IX. & X. Sæculo itidem fidem faciunt Epistolæ Hincmari, & formulæ antiquæ promotionum Episcopatum, quas edidit Sirmondus tomo II. Conciliorum Gallicæ. Imo Sæculo XI. & XII. hanc disciplinam in pleno vigore adhuc persistisse testatur Decretalis Lucii III. *Si Archiepiscopus*, relata à Gregorio IX. illo ævo sedente, cum aliis limitibus in suam collectionem, titulo *De temporibus ordinationum*; ex quibus Canonice uno assensu concludunt: Episcopum de jure communi confirmandum esse à suo Metropolita.

Quantum ad 2. p. videantur exempla in Thomassino N. præcedenti citato.

Tom. I.

Hh

102.

102. Crebrescentibus sæculis posterioribus hæc devolutionum ad Sedem Pontificiam causis, paulatim invaluit recitior disciplina; atque jus confirmandi non tantum Episcopos, sed etiam Metropolitanos, atque Primate, & Patriarchas ad solam Sedem Romanam devolutum est.

Epocha hujus devolutionis dimensuranda est, juxta epocham reservationum Pontificiarum, quæ Sæculo IX. invalescere cœperunt (N. 29. h. t.). Cum enim eo titulo electiones canonicæ quodammodo abolitæ fuerint, pariter jus confirmandi Episcopos Metropolitanis ademptum, & Sedi Apostolicæ reservatum est. Indignum quippe credebatur, ut à Romano Pontifice ad Episcopatum designatus à Metropolitanano confirmationem petere juberetur.

103. Quemadmodum autem reservationes Beneficiorum querelas Antilitium, Principumque non leves excitarunt (N. 30. h. t.); ita & reservationes confirmationum. Longe tamen diversum exitum sortitum est negotium de confirmationibus, quam illud de reservatione collationis Beneficiorum.

Querelæ de utrisque depositæ sunt in Concilio Constantiensi. Illud Sessione 40. apud Coletum tomo XVI. Conciliorum col. 706. decretum edidit, quo urgetur futurus Pontifex, inter alia, cum hoc Sacro Concilio, vel deputandis per singulas Nationes reformare caput secundum de reservationibus Sedis Apostolicæ, & quintum de confirmationibus electionum, in Reformatorio per Nationes oblato, antequam Concilium dissolvatur. Vota tamen ejusdem nominis in Basileensi executioni mandata sunt, in quæ Sessione XXIII. §. 5. & 6. apud Coletum tomo 17. col. 332. & 333. non tantum reservationes Beneficiorum cassantur (N. 30. h. t.), verum etiam confirmationes Episcoporum juxta juris communis dispositionem (N. 101. h. t.) fieri jubentur. Vide etiam Sessionem XII.

Quantum ad 2. p. Post varias agitatio-

nes inter Romanam Sedem, & Nationes circa hoc negotium continuatas; adhuc post Concilium Basileense, cujus decreta multis in locis non obtinere, per Concordata quidem Capitalis Cathedralibus, & electionis ibidem majori ex parte restitutum est (N. 31. h. t.): jus tamen electos confirmandi penes Romanum Pontificem remansit (ibi). In Gallia vero per Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. jus nominationis Episcoporum, &c. ad Regem est devolutum, & jus confirmationis ad Petri Sedem postliminio reversum (ibi); & ita factum est, ut omnium Episcoporum confirmatio ad Romanum Pontificem nunc pertineat, non item electio.

#### §. IV.

#### De Episcoporum Ordinatione.

104. **P**rimis Ecclesiæ temporibus consecratio Episcoporum ab ipsa confirmatione vix seungebatur: Sed Metropolitanis cum Episcopis provincialis, examine supra electionis forma, ac Persona electa facta, si electionem canonicam, & Personam idoneam reperisset, electionem ratihabendo, confirmavit electum, & ad ordinationem seu consecrationem processit.

Id constat ex monumentis primitivæ Ecclesiæ à nobis sparsim relatis, in quibus electio, confirmatio, & consecratio, verbo *Chirotonias*, seu Ordinationis exprimitur; & ex ipsa præxi: nam, teste Thomasi de Vet. & Nova Eccl. discipl. lib. 2. c. 8. N. 12. Episcopi consecratio plerumque statim post ejus electionem fiebat ab ipsis Electoribus, nisi ubi alicujus consensus erat expectandus; uti colligitur ex Can. 6. Concilii Sardienfis. Et certe tunc verabatur differri consecratio ultra 3. menses sine inexorabili necessitate, juxta Canonem 25. Synodi Chalcedonenfis.

105. Sicut in confirmatione, ita & in consecratione Episcoporum primas par-

tes

tes per 13. facile Sæcula obtinuerunt Metropolitanis.

Huc faciunt dicta à N. 94. & seqq. in quibus etiam ea, quæ de consecratione Metropolitanorum, & his majorum hic desiderari possent, enarrantur. Junge dist. 64. c. 6.

106. Epocha reservationis consecrationum Episcopatum Sedi Apostolicæ dimetienda est ex reservationibus Beneficiorum & confirmationum, & quæ de his reservationibus, earumque sequelis dicta sunt, hæc quoque applicari possunt.

De reservationibus Beneficiorum egimus à N. 29. h. t. confirmationum à N. 102. Omnes autem Episcopi sicut Romani Pontificis autoritate hodie confirmantur, ita & consecrantur. Unde in Pontificali Romano Titulo *De consecratione Electi in Episcopum* præmittitur hoc monitum: *Nemo consecrari debet, nisi prius constet Consecratori de commissione consecrandi, sive per Literas Apostolicas, si sit extra Curiam: sive per commissionem vivæ vocis oraculo à Summo Pontifice Consecratori factam, si Consecrator ipse sit Cardinalis, &c.* & ex præscripto ejusdem Pontificalis Ordinator, priusquam consecrationem inchoat, petit ab Episcopis Assistentibus, & Electum Consecratori, ut eum ad onus Episcopale sublevet, præsentantibus: *Haabetis mandatam Apostolicum?* quo lecto demum ad consecrationem procedit.

107. Sive autem antiquam, sive recentiore disciplinam spectemus, duo Episcopi cum Metropolitanano, aut alio tertio religioso in hunc usque diem ad consecrationem electi adhibentur; illos tamen, imo nec duos ad substantiam consecrationis requiri & autoritas suadet, & exempla docent.

Quantum ad 1. p. Canon IV. Concilii Nicæni Episcopum constitui vult ab omnibus Episcopis Comprovincialibus: vel si

hoc fieri nequeat, saltem à tribus. Rituale Græcorum: *Tres vero, inquit, sive etiam plures Pontificum omnem ornatum induti in sellis suis sedent ante Sacras Sancti Altaris fores.* Latine Ecclesiæ praxis est notoria ex ipso Pontificali Romano, quod titulo de consecratione electi in Episcopum mandat: *Ad sint (præter Consecratorem) ad minus duo Episcopi Assistentes.*

2. p. patet ex Canone I. Apostolorum: *Episcopus à duobus vel tribus ordinatur.* Item ex Constitutionibus Alexandrinis apud Beveregium in notis ad hunc Canonem, ubi præcipitur: *Ut ordinetur Episcopus à tribus Episcopis, necessitate vero cogente à duobus.* Nec desunt exempla: Sic enim Pelagius I. Episcopus Romanus à duobus Episcopis & uno Presbytero ordinatus est, teste Anastasio in ejus vita. Quod autem nec duo requirantur, liquet tum ex eo, quod Innocentius I. in ep. ad Victricium relata dist. 64. c. 5. & S. Anselmus in literis ad Regem Hyberniæ, dum ajunt, Episcopum non debere ab uno consecrari, eo quod hoc sit à Sacris Canonibus prohibitum, rationem hujus non assignent ex invaliditate consecrationis in casu; sed quia sic consecratus quasi furtive & non publice intret in ovile; tum ex eo, quod Synesius ep. 67. Syderium Palebice Episcopum à Philone Cyrenensi solo ex necessitate ordinatum fuisse referat, & S. Gregorius M. Augustino Anglorum Apostolo licentiam dederit Episcopos inibi se solo ordinandi; eo quod alii Episcopi ibi tunc non haberentur, lib. 1. ep. 27. in qua vera est lectio *Bedæ, Sine Episcopis*, non illa alia, *Cum Episcopis*: uti notat, ac solide probat mox relatus Beveregius I. cit. Hicque conformis est moderna praxis Romanæ Curie circa Ordinationem Episcoporum in Indiis, uti notat Fagnanus ad cap. 7. de Temp. Ord. N. 20.